

9299240

**DISSE^TRAT^IO IN AVG^VRALIS MEDICA
SISTENS
EXPLANATIONEM
ADFFECTVS MANIACI LEVI-
ORIS RARISSIMO SENSVVM
QVORVNDAM AVGMEN-
TO STIPATI**

274M
FAVENTE SVMMO NVMINE
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE
DN. FRIDERICO HOFFMANNO
ACADEMIÆ ET ORDINIS MEDICORVM SENIORE
PRO LICENTIA

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
MORE MAIORVM RITE CAPESENDIS

Ad d. Aug. Anni MDCCXXXIV.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR


JOHANNES CONRADVS FISCHER
PILLAVIA PRVSSVS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ

TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOR.

Psychiatr.
20, 40.

ERNST ECKHARDT



PRÆFAMEN.



R^etissimum animam rationalem,
& corpus organico - mechanico
cum intercedere vinculum , at
que commercium , ex mutua
determinata tamen actione &
reactione evidentissime collige
re licet ; Quotidiana enim quemcunque convin
cit experientia , animam , (liberam tamen ab an
xiis curis & nocivis ac turbulentis affectibus) du
rante sana ac integra corporis constitutione , inte
gritate itidem & amica frui quiete ; Noxia e con
trario superveniente mutatione in corpore , ean
dem , quam primum domicilii labem ex motuum
irregularitate percipit , in tranquillitate illico tur
bari . Idem corpori , quotiescunque anima curis

A 2

premi-

Mol fwo 83.

premitur, aut meditationibus profundioribus, & affectibus gravioribus indulget, accidere, certissimum est. Anima res externas, earumque in primis figuram, magnitudinem, & motum, organorum ministerio, specifico motu ab obiectis impressas cognoscit & diversas sibi deinceps de iisdem format ideas, quæ organis sensoriis integris, juncta insimul regulari & sufficienti animæ attentione, rebus ipsis conformes existunt; organis vero lœsis, difformes deprehenduntur. Prius quotidie, posterius vero quandoque præ primis in deliriis, in quibus ob inordinatum, & non raro impetuosum fibrarum cerebri motum simulacra rerum menti confuse offeruntur, observamus. Simile in subiuncti casus historia exemplum ob phœnomena quædam rarissimum, occurrit; quare idem speciminis inauguralis loco explanare decrevimus. Faxit Deus T. O. Terque M. ut conamina hæc ex voto succedant, atque in sui gloriam & proximi emolumentum dirigantur.

CASVS.

Vir honestus XLIV. annorum temperamenti cholericí prædominantis, siccioris, gracilis & sensibilioris habitus, meditationibus profundioribus atque studiis præfertim nocturnis nimum

mium indulgens, & sub parciori potulentorum adsumtione, herbæ nicotianæ fumo intemperanter usus, obillatam iniuriam iracundia valde excandescebat, & durante hoc impetuoso mentis motu vinum adustum largiori quantitate hausit. Noctem insequentem transgit insomnem, & redeunte tempore matutino surgens, absurdā insuetis gestibus proferebat, & paulo post furore correptus fenestras baculo percutiendo effregit, atque obviam primo ancillam sine causa verberibus exceptit. In cubiculum a coniuge servorum ministerio reductus, ob continuum delirium, maniaco per omnia simile custodiri debuit, ne sese e fenestrīs præcipitem daret, aut hinc inde discurrens alios læderet. Nulla febris, nec ulla mali hypochondriaci latitantis suspicio aderat, nunquam hæmorrhoidum fluxum aut molimina ad eundem est expertus, alvus præsente paroxysmo furibundo obstructa, appetitus bonus, pulsus durus atque tensivus, urina pauca ac tenuis & interdum rubicunda paululum cum sedimento micante eiusdem, sed saturationis coloris. Post aliquot dierum decursum sine pharmacorum ope delirium maxima ex parte discessit, remanente tamen sensibili admodum visu & auditu, adeo, ut patiens neque corpora lucida, fortius illuminata & coloribus eminentioribus, ut rubro, flavo, albo, &c. prædicta, adspicere, neque sonum paululum validiorem v. g. campanarum, cantantium, cum calcariis & ocreis euntium sine dolore capitis, & cerebri, ut ajebat, concussione, & delirii nondum penitus consopiti, resuscitatione & exacerbatione perferre posset. Hanc ob causam etiar in loco ab hominum strepitu re-

A 3

moto

moto & paululum tenebricoso degere cogebatur. Con-
jux & amici medici cujusdam consilium implorabant.
Hic veram causam & morbi indolem ignorans, deliri-
um ab atra bile & viscidis ac crassis humoribus in pri-
mis viis & sanguine collectis deducebat, ideoque cali-
da, acria, amara, volatilia, purgantia & sudorifera for-
tiora exhibendo, ad deteriora augmenta perduxit.
Quandoquidem somnus antea paucus & turbulentus
post memoratorum usum penitus fugatus est, ita, ut æ-
ger intra quatriduum vix quinque horas somno frue-
retur; Ideæ phantasticæ frequentius & cum majori ite-
rum furore redibant, atque symptomatibus recensitis,
notabili & rarissimo sane exemplo, exorbitans gustus,
& olfactus sensibilitas jungebatur, adeo, ut odoratiora
& volatilia, nec non acria, aromaticæ & salsa absque
dolore in organo sensorio & superius memorata pertur-
batione mentis non admitteret. Quare cum hæc sym-
ptomata ultra mensem durassent, nec ulla sub hac me-
dela recuperationis spes micaret, misso medicastro a-
lium consuluerunt medicum, qui exploratis necessariis
circumstantiis, recte malum primario spasmodicum &
essentiale judicans a nimia membranarum cerebri ner-
vos investientium aliarumque siccitate & strictura, nec
non ab acrimonia biliosa, & seri gelatinosi defectu de-
rivandum censuit, atque indicationibus rite formatis
latis facturus, balnea & pediluvia ex emollientibus pa-
rata adhibuit, & aliquando spongiam decocto emolli-
ente madefactam, denuoque expressione paululum sic-
catam, capiti in loco conjunctionis suturæ coronalis &
sagittalis imponendam & clysteres emollientes per inter-
valla

valla injiciendos curavit. Interne præscripsit & secundum ordinem exhiberi jussit juscula avenacea tenuiora cum pauco C. C. & rad. fcorz. nec non flor. chamomil. simplicis cocta, addito pauxillo olei amygd. dulc. expressi: it. emulsiones ex aquis destillatis lactucæ, anagall. cerasorum nigr. endiviæ &c. cum seminibus quatuor frigid. maj. amygd. dulc. & pauca papaveris albi quantitate; Potiunculas ex aquis memoratis & pulveribus temperantibus & nitrosis, spiritum nitri dulcificatum, pulveres præcipitantes cinnabarinos & nitrosos cum minori sperm. cet. portione quandoque mixtos, & loco potus ordinarii vel serum lactis citratum, vel decoctum hordei cum rad. graminis &c. Statim quoque in principio suscepitæ medicationis V. Sect. in pede instituta, & libra semis sanguinis educta, eademque denuo post mensem repetita fuit. Hisce & juncta conformi Diæta, medicus posterior malum intra paucos dies paululum minuit, & tandem post novem hebdomades penitus profligavit.

§. I.

Varia mentis impedimenta seu deliria in praxi obvia, & specifico charactere distincta, in Medicorum scho-
lis explicantur, quæ vulgo ad duo genera primaria
reducta vel Acuta Phrenitica, vel Chronica Melancholico ma-
niaca audiunt. Priora mittimus in præsenti aliisque pertra-
ctanda relinquimus; Ex posterioribus vero maniam occasio-
ne casus præmissi, nisi quoad omnes, quoad unicam & præ-
cipuam

cipuam tamen speciem, eo, quo fieri poterit, ordine, perlustrabimus.

§. II,

Mania Græcis itidem Mæviae (a μανιομαι, furo, insanio) Latinis furor vel rabies dicta delirium denotat chronicum sine febre, cum insueta audacia, furore & quarumvis fere actionum animalium perturbatione coniunctum.

§. III.

Maxima ex parte cum Melancholia convenit, nisi quod posterior furoris & audaciæ loco, mœrore tristitia ac timore stipata observetur. Recte hinc celeberrimus WEDELIVS dixisse videtur: *Conveniunt inter se Melancholici & Maniaci in genere, quod delirent utriusque, idque sine febre, quod commutentur saepe invicem, mutato sanguinis & spirituum statu: In se vero consideratis, re vera in mania inversam videas Melancholiam & contra. Vid. in Path. spec. Cap. VII. confer. quoque in Path. generali Sect. III. Cap. IX. pag. 600. nec non PAVLVS AEGINETTA de re Medica Lib. III. Cap. III. &c.*

§. IV.

Affectus Melancholici & Maniaci frequentius quidem vere & autumno subiecta disposita invadunt, aut paululum ad tempus consopiti leviori data occasione revertuntur ac pristinam ludunt fabulam: Prius HIPPOCR. Aphorism. XX. Lib. III. *Etenim vere insaniæ, Melancholiæ &c & Aphor. XIV. Lib. III. Sin autem fuerit Aquilonius & pluviarum expers autumnus, his quidem qui natura sunt humidiiores & mulieribus opportunitus. Ceteris ophthalmiæ accidunt siccæ & febres acutæ & diuturnæ, nonnullis etiam Melancholiæ.* Posterius ARETÆVS Libro de causis & signis morborum diuturn. Cap. VI. sequentibus

bus confirmat: *Nonnullos, qui penitus soluti morbo (furore maniaco videlicet) videbantur, veris tempus, aut error in victu, aut ira casu proritata, denuo ad furorem revocavit.*

§. V.

Verum enim vero ex hisce nequaquam absolute concludendum erit, reliqua anni tempora plane exemta esse. Frequenti enim comprobatur experientia, tempora alia praesertim calidiora, æque commode imo commodius quandoque & facilius quam priora, delirii maniaci & melancholici causas gignere, fovere & resuscitare, atque plurimos maniacos redeunte majori dierum canicularium astu paroxysmi antea silentis recursum aut exacerbationem experiri.

§. VI.

Superveniente affectione maniaca continuum nunc remissius, nunc fortius adest delirium sine febre. In perpetua laborantes constituti sunt actione & circa unum plerunque objectum occupati multas noctes & dies insomnes sine apparente & sensibili virium dejectione transigunt. Famem, frigus, & molestias qualcunque absque notabili noxa perferrunt, insigni gaudent robore, violento motu corpus exercent, persæpe vincula rumpunt, & carceres effringunt. Ideæ animo conceptæ feroces & irregulares sunt, hinc audaces, elati, superbi & arrogantes observantur, atque sæpiissime magnos sese reges, principes & heroes fingunt, & nil nisi altum spirant. Nullus timor, nulla tristitia adest, atque de nulla re convenienter solliciti, protervi, temerarii, & impudici deprehenduntur, adeo ut vestibus dejectis vel dilaceratis nudi incedant, vel neglecta debita custodia

B

hinc

hinc inde in plateis discurrant. Fortiter accensis furoris stimulis tanta excandescunt iracundia , ut clament, minentur, & præsentes quoscunque imo parentes, conjuges & familiares conviciis proscindant, stragula commaculent, atque dilacerent, vel obvios verberibus impetant, aut incautos & invalidos plane quandoque enecent. Furore paululum remittente, vel pertinaciter silent, vel cantu, risu, & incongrua garrulitate tempus peragunt, atque interdum sanitati restituti videntur. Nunquam tamen iis perfecte fidendum est; Subdoli enim & insidiosi sunt, atque data occasione & libertate (licet vincula quandoque lacrymis & blanditiis avertere studeant) in pristinum relabuntur furorem & incautos laedunt. Sic referente WEDELIO Pathol. gen. sect. 3. cap. 9. *Maniacus quidam abblandiens commensalibus suis ipsum visitantibus, gladium, bona verba & gestus pre se ferens, ab uno horum impetrabat, mox vero eodem omnes ex Hypocausto fugabat. Et alius simulans, se optime habere, coniugi persuasæ ipsum sanum esse, præprimis cum eandem ad precæ fundendas hortaretur, atque ultimis mensibus gravidae, noctu fauces præscidit.* Symptomata adeo quandoque intenduntur, & invicem miscentur, ut falso ab ignaris pro veris energumenis habeantur ; Non raro quoque œstro venereo correpti, coitum , si conceditur, frequenter celebrant, & agitatis longius fæminis semen vel non omnino vel tarde emitunt. Truci & torvo sunt aspectu, facies præsertim in furore rubicunda & sanorum similis est, corpus ad contactum calet, pulsus magnus & celer, interdum ferrinus & tardus, urina nunc pallida, nunc rubicunda, & biliosa; appetitus plenusque viget, & insignis non raro jungitur voracitas, A pur-

purgantibus & emeticis fortioribus vix moventur. Memoria non facile lœditur; actionum enim recuperata sanitatem concii sunt &c. conf. LOMMIVS in *observat. medic.* p. 65. WEDEL. in *Pathol. gen. Spec.* SENNERTVS in *Institut.* & multi alii in scriptis suis pathol. practicis.

§. VII.

Varias Mania subit differentias, generalius tamen eandem respectu subjecti & causæ distinguere sufficit in essentialiem & consensualem, eamque vel hypochondriacam vel hystericalm. Prior ab essentiali cerebri & meningum labet; posterior vero a spasticis constrictionibus uteri, mesenterii, aliarumque partium infimi ventris, & inde ortis sanguinis congestionibus versus caput dependet, & specificis quibusdam stipatur symptomatibus, quæ mali hypochondriaci & hysterici præsentiam magis minusve manifestant. Duplici huic speciei jungitur vulgo Daemoniaca sive ab incantatione sive obsessione, ut multi arbitrantur, producta; Verum quid de hac sentiendum sit, in præsenti non disquiremus, sed essentialis solummodo naturam investigabimus.

§. VIII.

Discernenda est Mania a Melancholia. Nam licet inter affectus hosce haud levis attendatur similitudo, adeo ut alter alterum multum illustret, notabile nihilo secius utrumque intercedit discriminem. In Melancholia enim statum quo ad plurima symptomata inversum, & contrarium conspicere licet. Affecti videlicet latitantum consortia fugiendo, solitudinem quaerunt, persæpe in lachrymas & suspiria erumpunt, nullis delectantur jocis, tristes sunt sine causa, constanter va-

no torquentur metu, & nulla audacia aut animus alios lædendi adest. Conceptis ideis phantasticis fixius inhærent, nec ullis ab iisdem abstrahuntur persuasionibus. Quidam circa res nonnullas solummodo delirant, de reliquis vero recte ratiocinantur, teste ARETÆO Lib. 1. de caus. & sign. morbor. cap. VII. Plerumque in Melancholia in una aliqua re est lapsus, constante in reliquis judicio. Sic referente TRALLIANO Lib. I. cap. 17. Mulier melancholica medium manus suæ digitum fortiter constrictum servans totum orbem eodam sese gestare credebat. Alius apud BORELLVM Cent. I. obs. 37. se spiritum sanctum profitebatur. Alius referente QVERCETANO Tom. II. p. 209. nasum urnæ magnitudine sese habere autumabat. Sunt quoque qui sese a latronibus continuo circumveniri, & spoliari, aut a serpente exedi ad severant, & sic porro. Nihil enim juxta SENNERTVM Instit. Lib. II. P. 3. Sect. I. Cap. 7. tam ineptum & absurdum somniantibus occurrere potest, quod non melancholici imaginantur, & verum esse opinentur, vereque dicitur, deliria vigilantium esse somnia. Appetitus plerumque prostratus observatur, rarius tamen voracitas adest; Insomnia terrifica, somnus turbulentus; facies plerumque pallidus, & austera, tristis, & morosa est, oculi sunt excavati, fixati, & retracti; habitus corporis siccus, squalidus & hirsutus, rarissime mollis & pinguis; pulsus parvus, rarus, subdurus & tardus, urina copiosa, nunc tenuis, nunc crassa ac livida & sanguis e vena missus crassior & nigricantis coloris. Malo aucto augentur symptomata, adeo ut de vita æterna desperantes, præ summo angore hinc inde currant, hominem quemcunque amicos, parentes, coniuges fugiant, & persepe

vio-

violentas sibi inferant manus, aut in furorem rapti ex melancholicis reddantur maniaci, &c.

§. IX.

Non confundenda quoque erit cum phrenitide, paraphrenitide, hydrophobia, lycanthropia, cynanthropia, chorea S. Viti, tarantismo & amentia. In phreniticis & paraphreniticis febris acuta adest, quæ cum delirio seu symptome ultra diem decimum quartum non protrahitur conf. COEL. AVREL. Lib. I. C. 3. CELSVS Lib. III. Cap. 18. Cynanthropia seu rabie canina correpti itidem febre acuta & maligna a virulento & caustico per morsum canis rabidi communicato miasmate accensa laborant, & ob anginam seu junctam colli inflammationem nec solida nec fluida per œso. phagum in ventriculi cavitatem detrudere valent, ideoque septimo plerumque die, nisi cito adferatur medela, extinguntur. Ab hac parum vel nihil fere differt Hydrophobia & Lycanthropia, nisi quod priori affecti aquas fugiant, & quævis liquida, licet ingenti siti premantur, ob insequentem liquidi ingestii per nares regurgitationem adsumere renuant; Posteriori vero laborantes ob memoratam causam aquam non solum aversentur, sed luporum quoque ululatus imitentur, conf. JOSEPH de AROMATAR. Tract. de rabie contagiosa. PAVL ÆGINETTA L. III. C. 16. MARCELL. DONAT. histor. med. mirab. Lib. VI. Cap. 1. Occurrit quidem peculiaris lycanthropiæ chronicæ species, quæ ultra dies XL. durat. Hac correpti, in lupos sese transformatos autumant, & ideo hinc inde currentes plerumque noctu circa defunctorum monumenta oberrant, atque luporum ululatus & mores stulta imitatione exprimere conantur. CÆL. RODIGIN.

DIGIN. Lib. XXVII. Cap. 12. Verum hæc, circumstantiis pau-
lo accuratius pensitatib[us], distinctam Melancholiæ speciem ex-
hibet sine febre nequaquam ut vera lycanthropia a rabidi lu-
pi morbu, sed potius ab aliis & ordinariis melancholiæ cau-
sis phantasiæ depravationem inferentibus derivandam. Olim
quidem Physici ac Medici quidam aliquique crediderunt, ve-
ram Diaboli ope contingere hominis metamorphosin tem-
porariam in lupum & transformatos ejusmodi Bär. Wölfe
nuncuparunt. Sic VIRGIL. in Eclog.

*His ego sæpe lupum fieri & se condere sylvis
Mærim, sæpe animas imis excire sepulchris
Atque satas alio vidi traducere messes.*

Evolvi quoque & conferri hac de re possunt OLAVS MA-
GNVS in Histor. Gent. septentr. Cap. 18. NICOL. REMIG.
Lib. II. Dæmonolatr. &c. Recentiores contra rationibus fir-
mioribus & experientia convicti fidem ulteriore fabulis hi-
sce denegantes, rectius hanc lycanthropiam melancholiæ spe-
ciem statuunt, eandemque a depravata solummodo imagi-
natione deducendam esse, arbitrantur. Conf. WIERVS de
præstig Dæmon. Lib. III. CAMERARIVS Medit. histor. Cent.
I. cap. 72. In chorea S. Viti & Tarantismo ceu affectibus
symbolicis ingens insolitum & insanum saltandi desiderium
observatur, quod in priori involuntarium plerumque ab in-
fania, & peculiari partium convulsione; in posteriori vero
ab ictu, & per hunc communicato specifico, subtilissimo &
acerrimo tarantulæ Apuliæ aranei veneno membranis & ner-
vis inhærente oritur vid. BAGLIV. in Tract. de Tarantulis.
FERDINAND EPIPH. in Histor. de Tarant. KIRCH. in Mu-
surg. & arte magnetica aliquie. Amentia denique summum
stoli-

stoliditatis gradum constituit, nulla febris adest, & ad tacti cerebro plane carere videntur, uti de hisce & antecedentibus plura hinc inde in Medicorum Libris legi possunt.

§. X.

Ex hactenus dictis atque debite cum casu præmisso collatis luculentissime cognoscere licet, morbum descriptum, leviorem, ob notabile tamen sensuum augmentum, rarissimam Mania speciem nuncupandum esse. Quare propositi memores ulteriore ejusdem evolutionem omissis reliquis nunc aggrediemur, & explanata prius ætiologia, curationem deinceps quoque trademus.

§. XI.

Anima in omni ideoque in præsenti quoque delirii maniaci specie, non directe & per se, sed inproprie saltem per accidens, & indirecte, lœditur. Illa enim ceu ens simplex, & mera juxta CARTESIVM substantia cogitans nullas patitur mutationes physicas, atque testante SENNERTO *Instit. Med. Lib. I. cap. 3.* nec lœdi nec labefactari potest sed eadem semper invariata, quam diu vivit animal, manet, & easdem operationes edit, modo habeat eadem instrumenta &c. Cunctæ igitur mutationes, quæ ipsi ob arctissimam cum corpore unionem quandoque accidere videntur, solummodo a corporis labe, & turbato motuum æquilibrio deducendæ erunt.

§. XII.

Haud raro quidem accidit, ut anima affectibus vehementioribus diutius indulgens, & peculiaribus quibusdam ideis paulo profundius atque fixius intenta, non solum primam & præcipuam delirii causam subministret, sed eandem quoque satis diu subinde foveat; Ex hisce tamen nequaquam colli-

collendum est, animam mutationibus physicis obnoxiam, & proximam delirii causam in ipsa quærendam esse. Nam licet causæ occasioales frequenter ipsi menti seu animæ inhærent, proximam tamen nunquam in ea, sed semper in corpore latere, deprehendimus. Anima enim utitur instrumentis corporeis in cognoscendo, & judicando, hinc illis, læsis, læduntur quoque actiones animæ; iis e contrario ad integratatem denuo reductis, integræ iterum redduntur actiones animæ. Quare in explicanda hac delirii specie primario quoque subiectum & vitia corporis eruenda & consideranda erunt.

§. XIII.

Præcipua præsentis nec non cuiusvis essentialis mania sedes in cerebro & præcipue in membranis sive meningibus eiusdem quærenda est, licet reliquæ quoque partes membranaceæ, nervosæ & cunctæ aliæ ob consensum a labe non immunes deprehendantur. Meninges enim cerebrum & omnes nervos comitantur, involvunt & idem suo motu iuxta illustr. Dn. PRÆSID. in *Physiol.* & SANTORINVM in *Tractat. de structura & motu fibræ* §. 24. præstant in fluidum cerebri ac cor in sanguinem. Dura præcipue meninx ex Baglivii sententia, alterum quasi cor solidum & validum constituit. In specimine enim de *Fibra motrice* p. 282. inquit: *Sicut cor instar machine compressoriæ exprimit, & ad remotas partes juxta singulorum necessitatem cum debito celeritatis momento propellit sanguinem; Ita dura quoque mater per cerebri substantiam intus forisque miro artificio propagata; ad instar fortissimi elateris, & compressoriæ machine, a glandulis corticalibus fluidum nerveum continuo exprimit, & in medullares cerebri partes insinuando impresso velocissimo motu, iictu oculi*

in

in omnes partes transmittit. Hinc iuxta eund. spec. sit. p. 287. & illustr. DN: PRAESID. in Consultat. Tom. VI. D. I. C. 3. it. Tom. V. D. I. C. 1. &c. maniæ, melancholiæ, epilepsiaæ, & similiū morborum capitis essentialium sedes in meningibus præterim dura, ceu maximo humani corporis elatere, a naturali statu recedentibus recte statuitur, uti hoc in sequenti-bus prolixiori demonstratione confirmabitur.

§. XIV.

Verum enim vero non subiectum solummodo sed causas quoque proximiores & remotiores rimari & cognoscere conuenit. Proximam consistere arbitror in motu seu circulo & influxu sanguinis & fluidi nervi per cerebrum & meninges irregulari, impetuoso, & ex parte impedito. *Cerebrum enim humanum ita differente WEDELIO Pathol. gen. Sect. 3. cap. 9. emulatur horologium subtilissimum, in quo si omnia legitimo gaudent motu. si observatur iustus ordo temporis, & proportionis, bene res habet. Sed si vel rotula exorbitet, confusa machina turbine movetur. Sic etiam posita iusta temperie, iusta conformatio-ne pororum, sensus sibi constant: sin minus eccentricitatem facile patitur intellectus idque variis modis &c.*

§. XV.

Memoratam motus depravationem & irregularitatem a duplii labi, altera in solidis, altera in fluidis partibus residente pendere, deprehendimus. In solidis præsertim membranis & meningibus nimia siccitas, morbifica strictura, & elater insolitus; In fluidis vero defectus seri blandi gelatinosi, & concentrata atque exaltata acrimonia salino-sulphurea biliosa vel subinde quoque bilioso-acida a veteribus atra bilis

C

dicta

dicta observantur. Hinc necessario accidit, ut membranæ præcipue meninges exsiccatæ, excedenter elasticæ ac sensibiliæ ab acribus humoribus paucō sero blando dilutis irritatæ fortius lesse constringant, crispentur, & hac ratione fluida præ-primis sanguinem acrem, calidum & volatiliorem, nec non fluidum nerveum igneæ in hoc statu ferme indolis, partim in motum citatiorem & circulum irregularem per vasa Cerebri & universi corporis cogant, & coniificant, partim ob vasorum coangustationem in circulo impedian, & hac ratione non tantummodo lenioribus stasibus inflammatoriis in meningibus ansam suggerant, sed omne quoque motuum æquilibrium, & rectæ ratiocinationis actus tam diu turbent, donec præternaturali meningum tensione ac crispatura remittente, fluidis circulantibus denuo meandi & remcandi libertas concedatur *conf. Illustr. DN. PRAES. in Med. Consult. DN. D. JACOB. STVVEN in Dissert. de Phrenitid. §. 17.* & saepius laudatus *BAGLIV. Spec. de fibra motr. p. m. 409. § 41.*

§. XVI.

De adserti veritate varia imprimis sequentia ab observatione desumpta testantur 1) Superveniente & repetente paroxysmo furibundo præsertim vehementiori, se- & exercetiones in glandulis &c. maxima ex parte ob fortiorem duræ meningis & quarumvis annexarum membranarum crispaturam, & contractionem supprimuntur, imo instans delirium secretionis humorum v.g. Salivæ sudoris, urinæ &c. imminutiones præ-sagiunt; Restitutæ contra secretionum libertati delirii finis succedit, manifesto indicio, fibras iterum mollescere & relaxari. 2) Sub prima paroxysmi maniaci invasione, cutis constricta

stricta inæqualis redditur, & anserina, uti hoc mihi ipsi in maniaco pariter atque melancholica observare contigit. 3) Pulsus ordinario in maniacis præsertim in furoris exacerbatione magnus & celer, & non raro ferrinus atque durus deprehenditur; prior semper auctum solidorum ac fluidorum motum, posterior vero vitium in partibus membranosis ac nerveis indicat. 4) Facies in paroxylmo ob violentam latice sanguinei propulsionem ad peripheriam, rubicunda, & sanorum fere similis, extra paroxysmum vero macilenta & austera, atque totus corporis habitus, siccus densus ac squalidus existit 5) Sanguis vena emissus teste WEDELIO in *Pathol. gen.* p. 601. & *special.* pag. 16. interdum ne micam seri exhibet & colorem offert cinnabarinum; rarius serum copiosum sangvini ex atro rubicundo circumsum notatur. 6) Tantum in maniacis robur est, ut subinde vix aliquot viri robusti unico deliranti coercendo sufficient. Robur autem & muscularum contractio, uti ex physiologis discendum est (conf. *Illustr. DN. PRAESES in Physiol. l. c.*) a validiori humorum influxu & solidorum duritie, tono & contractione fortiori dependent. Noto hinc notius est, homines mollioribus fibris præditos, minori: durioribus contra donatos, maiori gaudere robore. 7) Deliria maniaca multos persæpe annos durant, imo haud citius nonnunquam, quam vita desinunt. Pertinax hæc duratio itidem de sicco denso, stricto & compacto habitu testimonium adfert. Nisi enim eiusmodi solidorum & præcipue membranarum esset conditio, humores volatiliores & spiritus fere ignei facillime intra breve temporis spatium, transpirando consumerentur: quod tamen sub hoc statu neutiquam contingit. 8) Vigilaz

siæ diutius protractæ frequentissime in delirium desinunt, &
 præsentes semper fortè in solidis adesse crispaturam, indicant.
 confer. BAGLIV. loc cit. p. m. 318. 9) Subiecta cholericæ
 vel cholericо-melancholica, habitu corporis sicciori, textura
 fibrarum sensibiliori & sanguine volatiliori, acriori & bilio-
 so paucò sero diluto prædita, facilius atque frequentius ma-
 nia corripiuntur. Magis quoque eidem obnoxii sunt homi-
 nes constantis ætatis, & senes. E contrario in infantibus, quo-
 rum humores adhuc sufficienti, blando ac dulci sero tempe-
 rati, & partes solidæ laxiores & humidiores sunt, nec non in
 fœminis ab causam eandem essentiales maniæ rarius occurunt,
 Consensuales vero in posterioribus ob mensum aut lochio-
 rum obstructionem frequentius notantur. conf. Illustr. D N.
 PRAESES. in Med. consult. T. II. Dee. 3. cas. 3. FORESTVS L. X.
 observat. 25. de morbis Cerebri. SENNERTVS lib. IV. Prax. P.
 II. cap. 3. SCHENCKIVS. in obseruat. XL. &c. 10) Maiori itidem
 præ aliis dispositione gaudere censemur, qui studiis profun-
 dioribus, maxime nocturnis, curis & vigiliis frequentius su-
 pra modum protractis cerebrum, meninges aliasque membra-
 nas siccæ arida atque dura reddunt, & hac ratione strictris
 præter naturalibus ansam præbent. In hisce enim semper su-
 fcepta post obitum sectione dura mater aliæque membranæ
 maiorem solito duritiam ostendunt, & siccitatem. 11) Qui
 siccio capite & corpore nec non tensimeningibus prædicti sunt,
 annotante BAGLIV. Lib. cit. pag. 411. velocissima utpluri-
 mum gaudent cogitatione, atque acutis sensibus, & ideis con-
 ceptis ob siccitatem fixius inhærent. 12) Mora diurnior
 sub radiis solaribus, præsertim diebus canicularibus concen-
 trando aerimoniam biliosam & magis exsiccando fibras, vel
 primæ

primæ maniaæ genesi occasionem subministrat, vel paroxysmum revocat, conf. TIMAEVS a GULDENKLEE in *Responsis Medicis pag. 6413*) Alimenta acria, aromatica, nimis salsa, nec non potulenta calida, spirituosa, vinosa, præprimis abusus vini adusti, sumi tabaci, aliaque exsiccantia, commoventia & irritantia, nec non iracundia fortior atque frequentior, amor insanus, terror, vigiliæ diutius protractæ, abusus veneris, & exorbitans eiusdem desiderium, ebrietas gravior, excretiones præprimis partium acriorum biliosarum suppressæ, & plura huius generis alia, partim exsiccando ac vellicando, partim deturpando systasin & dulcedinem sanguinis &c. ad delirii maniaci genesin, augmentum & reductionem multum conferunt. 14) Producunt in dispositis & augent delirium maniacum, vesicantia, fortiora sudorifera, diuretica, purgantia, & alia eiusmodi medicamenta calida, acria & exagitantia. Efficiunt enim, ut solida irritata & exsiccata tensione nimia, & crispatura sua fluidorum resistentiam superent, eademque in motum irregularem & impetuosum adigant. Specialius quoque confectionis anacardinæ, opii, croci, nec non hyosciami exhibitionem maniam invitasse, annotatum est, vid. WEDEL. *Pathol. General. Sect. III. Cap. 9.* p. 592. COELIVS AVRELIAN. *Lib. I. De morbis acutis Cap. 17.* RAMAZINI *De morbis artificum cap. 20.* ACTA VRATISL. anno 1732. Mens. Novembr. Art. 12. 15) Febribus ardentibus quandoque annotante WEDELIO *Pathol. Gen. p. 601.* vel mania vel melancholia succedit. Haud raro itidem ansam præbent gravior capitis refrigeratio, tinea, scabies, podagra retropullia, fluor albus intempestive suppressus, ulcera inveterata clausa, fonticuli ob negligentiam exsiccati & consolidati, nec non epilepsia, philtra, & alia, quæ humores acres reddunt &

C 3

irri-

irritando spasticas solidorum contractiones pariunt. 16) Solantur ac iuvant maniacos V. S. emollientia, antispasmodica, refrigerentia, temperantia, diluentia, præcipitantia & similia, quæ acrimoniam biliosam corrigunt spasmos mitigant, & serum restituunt. 17) Rarissimum præterea sensuum, videlicet visus, auditus, gustus & olfactus in ægro nostro augmentum planum & insigne testimonium suppeditat. Quo maior enim testibus ratione & experientia fibrarum siccitas, tensio, stricatura & teneritudo est, eo major quoque adest sensibilitas & vice versa, 18) Dura meninx mania extinctorum observante BAGLIVIO *Lib. cit. Corol. 10. p. 288.* Instituta post mortem sectione instar tabulæ dura & exsiccata pene est, 19) quævis denique symptomata (v.g. robur insolitum, frigoris patientia, vigiliæ pertinaces, furor & perturbatio ratiocinationis, delirii duratio, sensuum externorum incrementum &c.) ex memorata causa, videlicet ex interna meningum præsertim duræ crispatura & constrictione inflammatoria & acrimonia salino sulphurea seu biliosa concentrata & exaltata, nunc sola nunc acido mixta & ab his pendente motu irregulari impetuoso & ex parte impedito plane & evidenter deduci possunt.

§. XVII.

Per hactenus dicta primarias essentialis delirii maniaci causas satis superque probatas, nec minus ad liquidum productum censeo, ægrum nostrum simili maniæ specie laborasse. Præcipua enim phœnomena & circumstantiæ in casu enarrato annotantur, quæ spasmodicam ejusmodi meningum &c. strictroram cum acri biliosa humorum indole adfuisse indicant. Homo enim sicut temperamenti cholerici, parum bibit,

bibit, membranas natura siccás abusu tabaci, vigiliis, flu-
diis profundioribus, prælertim nocturnis magis exsiccavit, i-
deoque ad constrictiones spasmódicas disposuit; Symbolum
contulerunt dispositionemque deduxerunt in actum, fortior
iracundia, & sub hac vini adusti copiosior ingurgitatio; ma-
lum deinceps imprudentis medicastri cura gravius fuit red-
ditum; usurpata enim fuerunt, ut ex historica casus relatione
patet, medicamenta acria, aromatica, spirituosa, sudorife-
ra, purgantia & alia, quæ sanguinem fero blando magis de-
pauperando, acrimoniam biliosam expandendo ac commo-
vendo, siccitatem & stricturas membranarum spasmódicas &
uno verbo causam immediatam proximorem ad majora per-
duxerunt incrementa, atque malum, ut ex sensuum præpri-
mis augmento elucescit, exacerbarunt.

§. XVIII.

Confirmatis potioribus, ad aetiologiam spectantibus
nunc causæ remotiores occasioales fusius quoque referendæ
essent. Verum cum plurimæ harum in præcedentibus præ-
fertim in §. XVI. recensitæ sint, de reliquis magis ad aliarum
quam præsentis speciei productionem facientibus, parum e-
rimus solliciti. In præsenti enim hanc solam non alias enu-
cleare animus fuit. Quare paucis adhuc adduxisse sufficiat,
præter causas memoratas occasionem subinde præbuuisse ictum
fulminis, vid. SCALIGER Exercit. 13. Vinum fulmine ta-
ctum, gelatum, & ad priorem statum reductum confer. SE-
NECA quæst. natur. cap. 53. Lib. VI. Cap. I. Terræ motum,
BAGLIV Tr. de terræ motu Romano p. 537. Suppressionem
mensium, lochiorum, hæmorrhoidum, hæmorrhagiæ na-
rium, obstructionem lienis, malum hypochondriacum, hy-
stericum, & similia.

§. XIX

§. XIX.

Vltimo ratione prognoseos memorandum venit, nullam desipientiam juxta GALENV M Lib. VI. §. 53. & FORESTVM Lib. X. observ. 21. securam, atque omnes membranarum & meningum morbos & consequenter quoque adfectus maniacos essentiales graves & curatu difficiles esse. Siquidem mania hæreditaria nunquam, adscititia incipiens difficile, inverata vix ac ne vix quidem curatur, & plerumque usque ad mortem X. XX. imo XXX. annos quandoque perdurat. SMITZ. Compend. Prax. Med. p. 305. SENNERTVS. Praxeos lib. I. P. II. cap. 15. Sympathica seu Consensualis vero facilius solvitur. Deliria enim essentiali cerebri labe evenientia graviora per consensum talibus. WEDEL. Pathol. general. p. 590. Quando memoria simul læsa est, longe gravior est, & magis vel minus fere incurabilis; Idem. l.c. Tumor quoque obser- vante Hippocr. insaniam censetur, quæ cum risu fit, peior quæ dato studio. LOMMIVS Observat. Medicin. p. 66.

§. XX.

Melancholia & per consequens quoque Mania interdum mutatur in epilepsiam & contra HIPPOCR. Lib. VI. Epidem. Sect. VII. GALENVS Lib. III. de Loc. affect. cap. VII. sed pessima iuxta DVRETVM fol. 378. epigenesis convulsio con- claria insaniae. Minus itidem tuta iudicantur ulcera in facie & pedibus orta, aut prostrata penitus appetentia LOMMIVS l.c. Salutem contra iuxta eundem promittunt (magis tam pro meo iudicio in consensuali quam essentiali) fusi men- ses aut hæmorrhoides aut natæ varices. Bonum quoque somnum placidum, qui delirii vacuitatem adfert, supervenire, HIPPOC. Lib. II. aphor. II. Nec minus salutis spes micat, suc- ceden-

cedente alvi fluxu, qui testante BAGLIV. Tract. de fibramotr. p. 257. in morbis capitis bona est, ratione signi & causæ: causæ nempe, quia educitur portio mœbosæ materiæ; ratione signi, indicat enim laxari jam, mollescere, & elongari solida interna tensa, crispata & convulsa, atque fluidis filtrandis liberum præbere transitum Sc.

§. XXI.

Perlustratis notatu dignis Pathologicis curatio nunc pertractanda restat. In ea si rationaliter, ut convenit, procedere placet, prospiciendum erit, ut idex peregrinæ & phantasticæ deleantur, & motus impetuosior, irregularis atque impeditus, procurata naturali fibrarum laxitate & convenienti sanguinis & fluidi nervi systasi & dulcedine ad pristinam libertatem ac ordinem reducatur. Prior indicatio malo existente adhuc curabili, obtinetur per grata amicorum colloquia, seu placidos sermones juxta insanientis animum & conditionem, præsertim decrescente furore prudenter institutos, congruas persuasiones, mutationes aeris & lusceptas peregrinationes; hisce non sufficientibus, furor objurgationibus & realibus quandoque castigationibus, verberibus videlicet, incarceratione &c. infringendus est. Haud negligendæ quoque erunt callidae deceptions, quippe quæ non raro variis testantibus observationibus peruersas atque fixas ideas funditus extirparunt. Sic referente TRALLIANO Lib. I. cap. 17. medicus quendam, qui sibi caput amputatum esse putabat, curavit imposito repente capiti ipsius plumbeo pileo ut gravitatem sentiens, caput se recepisse putaret, gavisusque sit plurimum, atque ideo vana imaginatione liberatus. Alius qui se cornua gestare autumabat, capiti

D

cer-

cervinis cornubus alligatis, serraque resectis & ostensis insania liberatus est, vid. SENNERTVS *Instit. Medic.* p. 332. Præstabit denique in subsidium vocare Musicam, quippe quæ in curandis animi affectibus & deliriis mitigandis mira efficacia gaudet. *In Musica enim tam vocali quam instrumentalī, teste QVERCETANO Part. Diet. p. 206.* tam exacta est numerorum, rythmorum atque proportionum concordia, ut nihil sit, quod magis animum permovereat & recreet, nihil quod per aures suaviter diverberatas magis illam afficiat atque oblectet, quam concentus & exactæ proportiones &c. Conf. SCALIG. *Exercit. 185.* KIRCHERVS in *Arte Magnet. & Phonurg.* BAGLIV de *morb. success.* cap. XVI. p. 390. &c.

§. XXII.

Præter hæc in usum vocanda remedia chirurgicæ pharmaceutica & diætetica, & quævis ex iisdem feligenda sunt, quæ serum gelatinosum dulce ac blandum restituunt, acrimoniam corrigunt & solida nimis sicca & spastice constricta humectant atque relaxant. In hunc finem commendatur largior & repetita V. S. vel in fronte, temporibus & sub lingua, vel tutius & pari efficacia in brachio & pede instituta. Hac enim solidorum crispatura citissime solvitur, eademque confirmante PLATERO multi ab insania liberati fuerunt. Interdum quoque utrorum temporum arteriotomiam admodum profuisse observatum est. Vid. EPHEMERIDES *Nat. Cur. Decad. III. annotat. 4.* ARETÆVS l. c. cucurbitulas vertici ad novendas suadet; & alii languitugas lobis auricularum, vel in dispositis & molimina ad eruptionem sentientibus vasis hemorrhoidalibus applicant. Magni item

dem

dem usus a quibusdam censemur vesicatoria , vel nuchæ vel vertici ipsi raso imposita. Verum hæc posteriora in præsen-
ti specie , in qua cum insigni solidorum siccitate & strictu-
ra , acris bilioſa humorum indoles conjuncta est , plus no-
cent quam prosunt , conf. WILLIS: *Pharm. rat. P. 2. Sect. 3.*
cap. 3. BAGLIV. in animadvers. in Pract. nov. §. 3. 4. &c.

§. XXIII.

Ex Pharmaceuticis quandoque fortiora emetica & pür-
gantia præprimis helleborata impuram in primis viis late-
tem mineram eliminando , & fibris membranarum specifice
tensis alium motum atque oscillationem imprimendo , pro-
fuerunt. An vero in præsenti quoque specie , in qua major
siccitas deprehenditur , & minor vel nulla impuritatum co-
piosiorum in ventriculo & intestinis suspicio adest , condu-
cant? merito dubitare licet. Tutius hinc pro meo judicio
ommittuntur quam exhibentur : Quidquid enim partium
siccitatem crispaturam , & seri temperantis in fluidis acribus
concentratis , exaltatis , & quasi igneis defectum auget , nun-
quam in hujusmodi statu usurpandum est , ideoque ex eo-
dem fundamento omni cura vitanda & arcenda erunt quæ-
vis calida exagitantia , fortiora sudorifera , diuretica cali-
diora , acria , aromatica , cephalica striete sic dicta , castorina ,
salia volatilia , & fixa amara , spiritus volatiles urinosi & ar-
dentes , & quævis ea in quibus principium salino sulphureum
tam fixum quam volatile prædominium obtinet.

§. XXIV.

Certius auxilium spondent balnea universalia & particu-
laria , ut pediluvia ex aqua tepida vel sola vel cum minori la-
ctis quantitate mixta & speciebus emollientibus v. g. rad.alth

lil. alb., herb. & Fl. malvæ, chamomil. vulg., melilot. flor. sambuc. furturibus triticeis, & huius naturæ aliis præparata: Laxatis enim juxta BAGLIVIUM specm. cit. p. 256. producuntque fibris in partibus madefactis ex mechanica necessitate consensus, Et legum impulsus laxari oportet Et leniri, producique fibras interiores contractas, crispatas Et quasi inflammatas, ita ut liber pateat transitus fluidis, proindeque minuantur delirium. An spongia emolliente decocto imprægnata ac denuo expressa vertici imposita (ut ex historia casus patet) in quovis ejusmodi delirante tuto & cum fructu applicari queat, ulteriore & repetita observatione indagandum erit. Citissime pro meo judicio hac ratione meningum striatura relaxari potest. Cavendum tamen ne abusu tonus nimis destruatur, & inducta excedente atonia adfectus soporosi invitentur. Similis fere efficaciam censentur clysmata ex emollientibus memoratis, & addito oleo lini, amygdal. dulc. &c. parata & anno injecta; consensualiter enim æque ac balnea meningum crispaturas minuant. Externis hisce emollientibus interna jungenda v.g. sperm. ceti vel pulveribus additum, vel cum oleo amygdal. dulc. express. aut jusculis avenaceis cum chamomill. coctis mixtum, & juscula alia gelatinosa, malva, violis, sem. lin. &c. temperata, aliaque in sequentibus recensenda.

§. XXV.

Selectiora itidem & expertissimæ virtutis judicantur, quæ temperando biliosam corrigunt acrimoniam & pristinam dulcedinem ac syftas in humorum restituunt. Ex horum censu sunt (temperantia nitrosa & nitrosoæ indolis v. g. lap. prunellæ, nitrum antimoniatum, nitrum ammoniacal. WEDELII vel

vel potui ordinario indita vel pulveribus dosi largiori admixta, essentia & decoctum anagall. purpur. &c. conf. ROLFINC. in ord. 3 med. comm. &c. 2) Acidula v. g. spiritus nitri, salis, vitrioli dulcificatus, liquor. anodyn. illustr. Dni. PRÆSIDIS, clyss. antim. sulphur., tinturæ acidulæ v. g. bellidis, rosar. rubr., violarum, borraginis, bugloss. papav. rhœados, ligni santal rubr., succus citri, tintura corall. cum suco citri aut pomorum Borstorff. parata, sal acetosell. cremor & crystall, tartari, syrup. rib. berber, acetositatis citri &c. 3) Diluentia refrigerantia ut decoct. hord. cum radice gram. scorzon. & C. C, serum lactis a parte caseosa medianente succo citri aut cremore vel crystallis tartari pulverisat separatum, aquæ acidulæ miner. præsertim cum lacte asinino vel vaccino mixtæ, aqua simplex pura ac levis loco potus ordinatii adhibita, it. Potiunculæ ex aquis destillatis temperantibus v. g. aqua acaciæ, ceras. nigr., nymph., endiviæ, lactucæ, fragor. borraginis, bugloss. flor. hepat. nobil. anagall. purp. &c. cum nitro, præcipitantibus & syrups acidis concinnatæ, 4) Obtundentia gelatinosa & sulphurea temperata ut emulsiones ex aquis prædictis cum seminibus quatuor frigidis maj. & min. cannabis papav. albi, amygdal. dulc. pini &c. Ptisanæ, gelatinæ C. C. eboris, crurum vitulin. cum avena excorticata, passul. min. & cort. citri, juscula pullorum gallinarum, carnium vitulin. cum vel sine herba endiviæ, borrag. bugloss. cichor. &c. it. Cinnabarina ut Cinnab. nativ: antimon: & factitia, C. C. sine igne sola tritura paratum, terra sigill. alb. &c. 5) Præcipititia terrea parciori tamen dosi exhibita, ne siccitatem humi-

D 3

dum

dum nimis absorbendo augeant v. g. lap. cancer. citrat. conch. ppt. mater. perl. chelæ cancer. ppt. corall. rubr. ppta. &c.

§. XXVI.

Hicce quandoque lenientia aut leniora laxantia sunt interponenda, præsertim si patiens clysteres admittere renuat, partim ut saburra in primis viis successive collecta, blande eliminetur, partim ut necessaria alvi libertas constanter servetur. Præstantiora ac tutiora sunt Decoctum prunorum laxativum cum fol. fenn. mann. rhabarb. tamarind. passul. rad. polypod., infus. rhabarb. & mann. cum aqua fumar. cichor. tremor. & crystall. tartari, serum lact. tamarind. pulvis mechoacann., syrupus de cichor. cum rhabarb. syrup. de manna.

§. XXVII.

Opiata magni a quibusdam in hujusmodi affectibus, præprimis ad soninum conciliandum, æstimata plane arcenda judico. Expansiva enim sua operatione humores magis rarefaciunt, ideoque plus nocent quam prosunt; Errant, inquit HELMONTIVS Lib. de Lithiasi, insigniter qui maniam opiatis compescere satagunt, cum omne opiatum sit in se amens. Conf. illustr. PRÆSES in Pathol. p. 272. seqv. & RAMAZINI Diatrib. de morb. artific. cap. 20. COELIVS AUREL. Lib. I. de morbis acut. cap. 17. Noxii itidem effectus sunt vulgo commendata epithemata frontal. refrigerantia; quandoquidem, si frigore actuali gaudent, non solum transpirationem periphericam in capite impediunt, sed membranarum quoque crispaturas augent.

§. XXVIII.

Ad falsa denique, dubia, & minus selecta releganda erunt

erunt sanguis asini ex venis post aures emissus panno linteo mundo exceptus & denique mediante infusione cum aqua anagall. exhibitus, caput & cerebrum arietis venerem nondum experti, corium capitis humani pro cucupha, mus assatus &c. nec non amuleta ex rad. bryon. & eryng. aut lap. Lazzuli, armen. chelidon. ruff. & hujus farinæ alia, quæ apud MACASIVM in *Prompt. Mater. Medic.* p. 605. sqq. & hinc inde apud alios commendata occurunt.

§. XXIX.

Vltimo congruum Diætæ regimen profigandæ maniæ subvenire debet, ideoque curandum, ut æger in aere puro subtili ac temperato, plus tamen ad frigidum quam calidum inclinante degat, & cibo tenuiori, temperante & gelatinoso, jusculis avenaceis, hordeaceis, pomis Borstorffian. cum passulis coctis, carne vitulina &c. nec non potu tenuiori utatur; omni præterea studio se- & excretionum libertas, somnus & animi tranquillitas procuranda, & quævis ea, quantum possibile, arcenda sunt, quæ ulteriorem somitem malo subministrare valent.

T A N T V M.

Ingenii

INgenii dotes, munera rara FISCHERE
Commonstras tandem pagina docta satis,
Gratulor. Et porro DOMINVS Tua cœpta se-
cundet,
Sic venit subito dulcis & amplius honor.

*Paucis hisce Clarissimo ac Prænobilissimo
Dn. CANDIDATO amico suo longe
honoratissimo gratulari voluit immo
debuit*

J. A. HANNESEN
L L C.

